DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE IRITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS NAIRNE,

Britannus,

SOCIET. REG. MED. SOCIUS.

Si cito rem perages, usus fiet longior.—Phæd. iii. Epil. 13.

PRID. CAL. AUG. HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

DAVIDI HAY, M. D.

COLL. REG. CHIR. EDIN.

PRÆSIDI,

&c. &c. &c.

ROBERTUS NAIRNE, S. D.

Cum nostram artem, Vir præstantissime, sub ductu auspiciisque tuis consecutus sim, causa esset cur hocce opusculum tibi inscriberem. Ea autem me non adduxit; beneficiis in meipsum privatim collatis tantum permotus sum. Quæ si ulla ratione, ullave ex parte rependere potuissem, exiguo sane hoc testimonio nihil esset opus. Nunc vero, quoniam gratiæ significatio vel minima apud bonos pro gratia valet, hæc qualiacunque sunt tibi offerre constitui, minime dubius quin, quo soles, animo oblata accipias.

DE

IRITIDE.

Nullus error fortasse scientiæ medicinæ noxior fuit quam sententia, quæ plurimum quondam, et apud aliquos adhuc valet, curam morborum oculi tradendam esse iis hominibus, qui istos solos animo intento agunt. Ex quâ evenit, ocularíis medicis omnes suas curas cogitationesque in curationes concipiendas et ferramenta chirurgica machinanda potius conferentibus, quam in quærendo de morbo, ut neque in pathologiâ morborum oculi discendâ neque in pluribus eorum accurate describendis nobis multum profuerit, usque dum hi morbi chirurgis disciplinâ et scientiâ imbutis in animo versarentur, quibus opera

optima scripta, et remedia magni facta tentata sunt. Exempla hujus rei vix opus est proferre, venerabilem SCARPA, SAUNDERS, BEER, WARDROP, aliosque hodiernos.

Quanquam necesse est, ut Iridis inflammatio semper extiterit, et notis adeo insignibus distinguitur, dignum tamen est notatu eam non accurate descriptam aut ab aliis ophthalmiis discretam fuisse, donec Professor SCHMIDT tractatum de hac re Vindobonæ anno 1801 edidit.* Dominus SAUNDERS primus inflammationem Iridis diversum morbum in hac regione descripsit anno 1806.† Mihi videtur tractatum Professoris SCHMIDT in Britanniâ non innotuisse ante annum 1818; quapropter mirum nobis videri non debet, Dominum SAUNDERS inter nostrates acquisivisse famam primum discernendi hunc morbum.

---

* Ueber Nachstaar und Iritis nach Staar operationen, von Dr. Joh. Adam Schmidt. 4to. Wien, 1801.

† London Medical and Physical Journal, 1806.

Ut distinguam morbum in sequentibus paginis tractandum, nomen Iritidis a SCHMIDT propositum selegi, 1$^{mo.}$ Quia nomen est maxime concinnum, et inflammationem Iridis satis denotat, etiamsi non sit secundum notationem, quam Græci ετυμολογιαν vocant; 2$^{do.}$ Quia nomen medicis notissimum factum est, et inter eos sæpissime obtinuit.

Inflammatio Iridis morbus est permagni momenti, sive eam exhibentem unum ex valde eximiis exemplis adhæsivæ inflammationis, in quo ejus processus videatur, sive in ejus consequentia visum vel in parte vel in toto delendo, seu iterum in ejus curatione, respiciamus. Potest incidere in formâ acutâ vel longâ, vel per se vel ex alio orsa, vel simplex aut cum aliis morbis conjuncta.

In utrisque oculis per idem tempus rarius accedit, sed fere in uno solo; interdum sanus oculus implicatur cum gravissima signa in morboso quieverunt.

HISTORIA MORBI.

Cum Iris inflammatione acuta corripitur, pupilla prorsus immota videtur, et suum nitidum atrumque aspectum amittit. Color Iridis plerumque, etiamsi non semper, mutatus est, et in variis hominibus variam speciem sed sæpius rubidam acquirit. Iridem nunc viridem esse, si antehac cæsia vel cærulea fuerit, et nunc rubram, si antehac fusca vel nigra, affirmant Germani. Credo Dominum GUTHRIE in suis prælectionibus idem animadvertere. Citat exemplum, quo Iris adeo rubra erat ut homo haud parum distans aspiceret ; et Janin alterum exponit, in quo color Iridis ad similitudinem crudæ carnis fuit. Margo Iridis pupillaris suam peracutam et definitam aciem amittit, crassescit, se corrugat, et ad lentem chrystallinam inflectitur, sed principio a circulo non longe abest. Interdum, ineunte morbo, permagna est vascularitas tunicæ conjunctivæ, etsi

hæc sæpius maxima est in sclerotica, et in eâ fere inclusa, super quam multa florida vasa sanguinem vehentia recto cursu corneæ marginem versus, ubi abrupte desinere et submergi videntur, progredi perspiciamus, conspicuam zonam facientia ad lineam fere pone hujus tunicæ circum. Morbo longius progrediente et tunicis inflammatione implicatis, magna est vascularitas conjunctivæ. Pupilla etiam in tenebris jam se maxime contrahit, formam rotundam amittit, et nunc est inæqualis, in aliis exemplis oblonga, in aliis quadrata, rhombi formam, vel semicirculi habens, et interdum qualis verbis non facile exprimatur. Raro quidem aboletur, minimo in Iride relicto foramine; sed cum lympha, ut posthac ostendam, hoc plerumque occupat, ægri visus, qui in omnibus exemplis per totum morbum imminuitur, antequam iste oculi status accesserit nullum fructum ex eo capit. Oculus facillime incitatur, et lumine ei illato manant copiose lachrymæ quæ ægro calidæ et urentes feruntur. Intolerantia lucis ex creberrimis signis est, et interdum inflammationem Iridis nos monet quamvis adhuc

nullam auctam vascularitatem aspiciamus. Sed plus quam quicquam aliud signum ægrum vexat dolor, qui gravitatem, naturam, sedes, et spatium temporis, diversa habet. Modo acutus est et hominem cruciat, modo hebes; alii dolorem ad intervalla ex oculo per cerebrum tendere sentiunt, alii in partibus supra supercilia, alii in occipitio quam plurimum gravem esse queruntur. Sed sæpius urget in oculo ipso solo, altam sedem tenet, et in nonnullis eum tensionis sensus comitatur; ægro videtur oculum majorem esse quam ut in cavea ejus contineatur, et, si eum inspiciamus, eminere conspicitur. Dolor vesperascente die ingravescit, sub noctem mediam augetur, ubi gravissimus est, vicissimque sub matutinum tempus lenitur. Hæc miseria ægros adeo tenet ut per multas noctes ex somno fructum non capiant; et ex creberrimis et certissimis signis est, quæ in Iritide Syphiliticâ urgent.

Inflammatio Iridis ad terminandum sese adhæsione proclivis est: lympha in Iridem ipsam effunditur et in filorum formâ mar-

gini pupillari adhæret; etiamque in camera posteriore humoris aquosi deponitur, ita ut nexus afficiatur inter Iridem et lentis capsulam: sed malum non hic manet, inflammatione ad cameram anteriorem progrediente, in hac quoque fragmina lymphæ minima aut massas inæquales deponi observamus. Cornea jam suum splendorem amisit, fit turbida; et interdum cornea et Iris cohærent. Si morbi progressus non rumpatur, pupilla evanescit, etsi res raro ita se habet, aut eam occupat membrana cui est cinereus color, atque lympha, quæ Iridem capsulæ lentis agglutinavit, solida facta est, et ut medici Anglice aiunt "*organized.*" Vasa rubra per lympham transmissa videntur, quæ præcipue ex Iride procedunt. In hoc statu morbi Iris eminet et gibba est. Sensus luminis morbidus non amplius adest, visus magis ac magis imminuitur, et oculus nihil nisi lucem percipit, modo nihil aliud mutationis fuerit. Hæc omnia signa comitatur plus minusve febris iis supervenientis. In Iritide suppuratio raro occurrit. Dominus TRAVERS dicit pus nunquam gigni in Iritide purâ. Ni-

hil est quod prohibeat ne formetur iis exemplis, quibus inflammatio quam maxime gravissima fuit; nobis enim notum est, inter partes serosas cum lympha effunditur, inflammatione acutâ procedente, pus posthac gigni.

Præter acutam lenta est inflammatio Iridis quæ impetum insidiosissimum facit: signa illius adeo sunt gravia, ut ægrotum consilia quamprimum petere incitent; sed hæc adeo insidiosa forsitan magis perniciosa est, utpote cum signa leniora sint, atque vix aut ne vix quidem iis laboranti molestiam afferant, et æger ab aliquo consilia non petat, donec visus adhæsione ipsa ineunte imminuitur: intolerantia luminis est nihili, pupilla se tarde contrahit, sed zona vasorum sanguiferorum, si oculus inspicitur, prorsus distincta videtur, etsi non sit tam rubra quam in Iritide acuta.

Iritis signa etiam secundaria Luis Venereæ, Rheumatismum, et Arthritidem comitatur; et in singulis pro varietate distinctâ habita est. Quidam rem animo ita conspiciendi accurationem

dubitaverunt. Cum oculos Lue Venereâ laborantium inflammatio invadit, præter signa secundaria quæ vulgo in Lue Venerea observantur, si adessent, sequuntur hæc; vasa conjunctivæ et scleroticæ inflammata sunt obscure rubra, vel colorem cinnamomi habent loco istius coloris rutilantis qui in Iritide simplici est. Dolor in Iritide Venerea sæpius ac certius accedit, et magis sævit sub nocte, dum alio tempore non videtur tam gravis quam in Iritide simplici: parte capitis solâ supra supercilia sæpe urget, et secundum Dominum SAUNDERS lympha cum deponitur aspectum quasi tuberculi induit: textura Iridis magis mutatur, pupilla non ita se contrahit: tamen hæc omnia signa hanc varietatem Iritidis non semper, sed quædam eorum fere, comitantur. SCHMIDT et alii Germani pupillam sursum introrsumque ad oculi angulum motam, pro modo dignoscendi Iritidem Veneream aliis varietatibus, habent. Hoc signum, si semper instaret, magni momenti esset; infeliciter nequaquam constans sed solum fortuitum videtur. Dr. VETCH in Iritide Vene-

reâ fulgidum oculi aspectum sibi proprium sæpe adesse memorat.

Sin autem Iritidem Veneream varietatem distinctam esse dubitemus, multo magis oportet dubitare, an sit Inflammatio Iridis Arthritica. In hac regione hanc varietatem discernere auctores non soliti sunt; sed Germani de ea nomine Iritidis Arthriticæ disserunt, et afferunt circum scleroticæ marginem esse circulum angustum et subcæruleum, qui, morbo ineunte, solum observatur, atque etiam posthac venas esse conjunctivæ varicosas; hæc duo signa hanc varietatem ad vivum describere sentiunt. Sed mihi videtur sub uno nomine disseruisse de duobus morbis naturâ prorsus diversis, et habitui corporis dissimili symptomata tribuisse quorum ratio alia redderetur. Iritidis Arthriticæ esse duas varietates dicunt; alteram homines tenues, et quibus est corporis habitus irritabilis, et fibra tensa, invadere, alteram obesos et quibus est fibra laxa; signa illius sunt, Iris dilatata, coarctata pupilla et angulata, venæ Iridis varicosæ, circa corneam annulus subcæruleus et, nisi mor-

bus interrumpatur, oculus tabescit. Hæc omnia signa in Iritide simplici obveniunt, et venæ Iridis varicosæ ex inflammatione protracta oriuntur, etiamque in aliis texturis obvenire possunt. In alterâ pupilla dilatata et rotunda est. Iris collabitur, et ejus structura corrumpitur. Dolor altam in oculo sedem tenet, animam agit, et sensu ardoris circa oculum accedit; venæ choroideæ et conjunctivæ sunt varicosæ; corpus ciliare prominet, lens est glauca, et deinceps luce non amplius fruitur oculus. Sine dubio Iris implicatur, ejus autem inflammatio est solum secundaria et minimi momenti; hic morbus acutus et perniciosus tunicam choroideam et hyaloideam obsidet, et medicis ocularius dicitur Glaucoma.

Ophthalmiæ Rheumaticæ supervenit Iritis Rheumatica, et, quantum intelligo, signis diversis ab iis, quæ in Iritide simplici sunt, non discernitur.

DE RATIONE QUORUNDAM SIGNORUM.

In indicia morbi exponendo, dixi, quoties inflammatione corripitur Iris et antequam lympha effunditur, pupillam se gradatim contrahere. Quod musculosis fibris inflammatione irritatis Dominus SAUNDERS attribuit. Enimvero pupilla dilatata ab eo data est radiatis fibris, et coarctata pupilla fibris in orbem flexis, sese contrahentibus.* In hac expositione mihi videtur non nisi de fibrarum in orbem flexarum inflammatione referri. Annon vero fibras etiam radiatas corripuit inflammatio? Ab eorum vi sese contrahendi sequetur pupillam patulam fore; utraque autem serie fibrarum inflammatâ ex duabus viribus agentibus pupilla nec contracta nec patula existeret. Sin autem partem solam Iridis pupillarem vim se contrahendi, et partem ciliarem vim resiliendi, habere arbitramur, hujus signi ratio facilius reddi potest.

* Saunders on some practical points relating to Diseases of the Eye, by Dr. Farre, 2d Edit. 1816. p. 62.

Quamvis utraque incitatur, tamen illa majori vi hanc superat, ex quâ oritur pupilla contracta. Nihilominus hoc signum ab Iride consentiente cum Retinâ pendere opinione potius abducor; cum tunicæ communes inflammantur doloris et irritationis particeps est Retina, ex quâ re fit, ut facultas ejus sentiendi crescat, sicut in omnibus fere ophthalmiis observamus facultatem Retinæ sentiendi pro inflammationis severitate crescere, et pupilla ita fit contracta. Cum in adhæsionem inflammatio processerit, pupilla contracta haud dubie etiam a lymphâ circulo minori Iridis adhærente, et pupilla immobilis a fibris agglutinatis lymphæ effusione pendet.

Visus imminutus ab inflammatione ad cameram anteriorem serpente oritur; cornea non amplius pellucida, et humore aquoso turbido: interdum a cornea nimis gibba ob nimium humorem aquosum, atque aliis exemplis, morbo provectiore, a retina inflammatione implicita, et ejus facultate sentiendi corruptâ, oritur; cum res ita se habet, visus in æternum prorsus deletur.

Iris gibba a humore aquoso, qui in camerâ posteriore secernitur, ad cameram anteriorem non admisso ob pupillam occlusam probabiliter pendet, seu hæc (sc. pupilla) omnino deletur, seu membranâ expletur.

Peculiaris vasorum aspectus, quasi zona circa corneam, signum est Iritidi commune inflammationique scleroticæ et choroideæ: quod, cum inflammatione Iridis et choroideæ urget, monet morbum ad scleroticam progressum fuisse.

DE CAUSIS IRITIDIS.

Iritis simplex ex ullis causis, quæ ophthalmiam movere solent, enascatur. E noxa toti oculo vel parti ejus extrinsecus illata oriatur. Curatio suffusionis scalpello et manu hoc malum excitat, sed ad Professoris SCHMIDT sententiam lenti opacæ extractæ sæpius, et depressæ rarius supervenit. Frigus Iritidem sæpissime excitat. Inflammatio Iridis accedit conjuncta

cum Luis Venereæ signis quæ totum corpus afficiunt. Varia interpretatio prolata est. Alii Luem Veneream, alii Hydrargyrum, quod, ut hunc morbum medeatur, præcipitur, alii actionem Luis Venereæ et Hydrargyri conjunctam, alii neque hoc neque illam Iridis inflammationem excitare affirmant, sed eorum utrumque aut singulatim aut simul hominem obnoxium facere alii causæ contingenti, e. g. frigori, quæ eam excitat. Difficillimum est cursum alicujus veneni morbidi vestigare, sed hæc difficultas veneno morbido et metallico in corpore urgente usque augebatur; nunc in parte tollitur, quoniam certiores facti sumus Iritidem, aut simul aut post Luis Venereæ signa, obvenire, et quando ad ejus curationem Hydrargyrum non præceptum est.* Dominus JOANNES

---

* Hewson sic scribit: "In some unpublished official reports, with an examination of which I have been favoured, I find it expressly stated in reference to this fact, that 'Iritis was more frequently observed as a secondary symptom, than is known to happen after treatment with mercury."—*Hewson on Venereal Ophthalmia*, p. 48.

HUNTER, celeberrimus homo et vir tam memoria dignus, inflammationem oculi esse nunquam veneream judicabat; primo quia, si ea exempla sint venerea, morbus ab eo, qui alias partes corripit, perplurimum differt, et eum comitatur plus doloris quam inflammationem veneream, quæ ex constitutione isto malo affecta oritur: secundo, quia tale ulcus ea exempla comitari nunquam vidit, quale obvenit cum vitium os, fauces, et linguam invadit.* Quamvis argumentum perspicuum inflammationem Iridis veneream existere non prolatum est; at si indicia, quæ prodeunt cum corpori venenum venereum nocet, nobiscum cogitemus, nonnullis eorum diversis ab iis, quæ sunt Iritidi simplici frigore aut vulneribus excitatæ; et in memoria habeamus ea signa prodire etiam in ista Iritidis forma, quæ venerea descripta et vocata est, quæque etiam per se obvenit, cum cutis vitium est aut nullum aut sanatum, ex his omnibus rebus inferendum est inflammationem Iridis

---

* Hunter on the Venereal Disease, p. 324.

discretam existere, seu hæc Lue Venereâ causa excitante vel prædisponente concitatur. Pauci inflammationem periostei, quæ simul cum signis aliis secundariis Luis Venereæ occurrit, veneream vocare dubitant: sed mihi videtur probabilitatem tantam esse pro Iritide quanta pro inflammatione periostei. Præterea quanquam dolores nocturni interdum sunt in Iritide simplici, tamen non tam sæpe urgent quam cum venenum venereum in corpore existit, et hoc indicium opinionem inflammationem esse sane veneream confirmat, ut in ossibus affectis notamus.

Hydrargyrum causam esse Iritidis multi nuper dixerunt, et hanc opinionem Dominus Travers primus protulit in medium. In iis, qui multo Hydrargyro Luis Venereæ curationi utuntur, sine dubio sæpissime accedit; tamen hoc medicamentum inflammationem excitare nequaquam sequitur. Unum argumentum, quod datum est pro hac sententia, est morbum in sano oculo prodire inter Hydragyri usum ad alterius curationem. In ophthalmia ea res ne-

quaquam est infrequens cum Hydragyrum non datum est, et nihil rationis reddi potest cum unam Iridem inflammatio corripit, quin etiam in altera accedat. Non de hydrargyro, sed de consensu inter partes duas pendet. Dr. VETCH censet Hydrargyrum sanguinis circuitus æquipondium sustentare; cum hoc malum adest, functionibus sanum statum præstantibus, Hydrargyri actio subito reprimitur, ex quo fit ut æquipondium derimatur, inflammatioque rheumatica enascatur, cujus eam esse varietatem putat.* Ingeniossima est hæc explicatio, sed proposito pro vero admisso nititur, Iritide ingruente, Hydrargyri actionem subito esse repressam; aliquando res ita se habeat, sed rationem non reddit exemplorum eorum, quibus Iritis occurrit dum Hydrargyri vires adhuc valent in corpore. Hydrargyri actionem hominem Iridis inflammationi obnoxium facere mihi videtur opinio optime sustentata. Functiones hydrargyro læsæ et in domo detentio, quam ejus usus pos-

---

* Vetch on Diseases of the Eye, p. 93, 94.

tulat, corpus faciunt magis obnoxium frigori, quod ex causis est Iritidem simplicem sæpissime moventibus.

Arthritis inflammationem Iridis etiam excitare dicitur. Quamvis Iritis in arthriticis prodeat, tamen nihil rationis eam specialem vocare video; non est satis rationis inflammationem Arthriticam vocare, quod in iis hoc malo affectis occurrit. Germanis autem oculariis, qui omnes eam ita describunt, nulla alia ratione opus esse videtur: quam enim nomine Iritidis arthriticæ describunt, in iis hominibus, qui podagræ indicium nunquam exhibuerunt, eam obvenire, etiamque arthriticos inflammationi in ejus natura secundæ patere, non negant.

Ophthalmiæ rheumaticæ Iritidem supervenire antehac memoravi. Iritis autem sine ullâ causâ, quæ reddi potest, aliquando instabit, et morbus, cum res ita se habet, plus discriminis affert, quoniam ejus effectus, donec aliquamdiu insiderit, raro percipiuntur. Dignum est etiam notatione hunc morbum infantes vel impuberes

raro, nisi vis oculo extrinsecus illata fuerit, sed fere omnino homines adultos, corripere.

DE RATIONE DIGNOSCENDI.

Quum tunicas oculi internas præsertim choroideam corripit inflammatio, oculi aspectus est fere idem. Eadem est intolerantia luminis; in pupilla sunt nebulæ, visus læditur, zona vasorum conspicua, quæ adest in Iritide, in choroideæ inflammatione etiam existit. In hac pupilla est semper patula ex sensu retinæ minuto, vasis choroideæ turgidis eam comprementibus. In iis autem, quorum Iris inflammatione corripitur, quorum Iride parum aut nihil ruboris apparet, quibusque intolerantia luminis solum est indicium, quod medici attentionem sibi vindicat, et Inflammationem oculo insidere ostendit, pupilla coarctatur. Hoc signum dignum est notatione, atque simul cum pupilla inæquali et angulata hunc alio morbo dignoscit, antequam tanta membrana adhærens formatur, quanta Iridis inflammationem non amplius dubitari reddit. Inflam-

matione choroideæ, cui sunt plura sanguinis vasa, dolor gravissimus est, et morbus acutior. Nullo auctore, quantum scio, choroideæ inter inflammationem et Iritidem ita dignotum est extra Dominum GUTHRIE, qui in suis prælectionibus huic rei insistit. Inter illam partem medicinæ ad oculum, et ejus morbos pertinentem colendum, apud Regium Valetudinarium Westmonasteriense ad morbos oculi curandos institutum, rem discipulis, quoties ea exempla obvenerunt, ipse monstrare illum vidi. In prælectionibus quas edidit ita dicit: "When the choroid coat is inflamed, without the iris being equally affected, the iris merely changes colour, and the pupil is dilated; but these symptoms proceed no farther. If the iris be alone affected, it changes colour, the pupil contracts, adheres, and lymph is generally deposited; it is probable the choroid changes colour also, but this cannot be seen. When both choroid and iris are inflamed, the choroid obtains the mastery, and in consequence of the pressure from behind, the pupil is always more dilated than it would have been if the iris had been alone

inflamed."*—Dominum WARDROP inter signa choroideæ inflammationis describere, pupillam se contrahere, satis mirari nequeo.†

Fortasse res non est tanti momenti hanc ab Iritide dignosci, quoniam remedia utrique sint eadem, etsi valentiora in choroideæ inflammatione; sed in aliis oculi morbis res quam maximi est momenti, quoniam pupilla patula indicium vitii retinæ fere putetur, ex quo fit ut inflammatio perniciosissima negligatur. Iritis ab inflammatione conjunctivæ dignosci potest vasis sanguiferis aliter distributis, vasis scleroticæ per conjunctivam conspicuis, chemosi, quæ huic est propria, illam non comitante; et effuso pure, quod inflammationem conjunctivæ comitatur. Dr. SMITH colorem leviter coccinum quibusdam lineis pone corneam proprium esse Iritidi scribit.‡

---

* Guthrie on the Operative Surgery of the Eye, p. 218.

† Wardrop's Morbid Anatomy of the Human Eye, vol. 2, p. 62.

‡ Edin. Med. and Surg. Journal, vol. 18, p. 511.

DE IRITIDIS CURATIONE.

Pauci oculi sunt morbi, qui Iritide sunt acutiores, quibusque ad visum lædendum major est proclivitas. Nullo morbo consilia medendi melius exposita sunt, et remedia, quibus utendum est, melius nota quam in hoc. Iis remediis fortiter adhibendum est, ne ex mora visio deleatur aut plurimum lædatur ; si remedia satis strenua adhibita sunt visio fere semper recuperatur. Cum iris sola hominis robusti, et qui se aliter bene habet, inflammatur et antequam lympha effunditur, sanguis, vena brachii vel juguli incisa, mittendus est. Quot sanguinis unciæ mittendæ sint imperare multi medici consueverunt : sed nulla consuetudo plus erroris ducit seu hac seu alia inflammatione acuta. Sanguinis quantitas ad actionem cordis arteriarumque debiliorem reddendam dirigeretur ; et utile erit si sanguis, nonnullis exemplis, usque ad animi defectionem mittatur. Modus tempusque, quo sanguis effluit, majoris momenti est quantitate in hac et alia inflammatione

acuta. Inflammatio partis totum sanguinem circumeuntem subito affici requirit; si igitur sanguis tarde et e vulnere parvo, atque non brevi magnoque ex vulnere effluat, quamvis plus sanguinis in illo quam in hoc modo mittatur, in morbo minus valebit, ægrique vires magis convellet. Hic corporis status est, qui aliquos tenet ut ad hoc remedium non confugiant, quia ægrum id ferre non posse sentiunt: sin autem sanguinem brevi magnoque ex vulnere mitterent, satis esset effectus quanquam minus sanguinis istum effectum præstaret in debili quam cui sanus habitusque corporis plenus est. Sine dubio, quæ ægro sint vires, considerandum est; sed eodem tempore partem esse summi momenti memoria semper habendum est, et exempla occurrunt quibus visio læsa est (sed quibus hoc malum avertere licuisset) quia timuit medicus. Una sanguinis missio copiosa in quibusdam sufficit: hoc remedium generaliter iterum postulatur et interdum sæpius. Repetitio ejus ad signa et oculi statum dirigenda est; si quidem nimia doloris acuti ratio habenda est, medicus falletur, ut inflam-

matio oculi ad suppurationem interdum procedit, et tantus dolor non morbo est, quantus sibi medici attentionem vindicabit.* Quum morbus citissime progreditur, sanguine ex incisa vena misso, detractio sanguinis ex arteria temporis auxilium est magni pretii, ut hoc modo corpus citius afficitur, quæ res in iis exemplis tantum valet. Dominus TRAVERS in arteriam temporis incisam arguit, sed Dominus SAUNDERS decessus id laudibus summis extulit.* Acre medicamen purgans adhiberetur, et per morbum urgentem continuaretur, ut alvum solicitet. Remedium etiam utile ad motum cordis arteriarumque minuendum reperietur Tartras Antimonii et Potassæ, qui purgante conjunctus adhibeatur ut, non modo alvus ducatur, sed quoque nausea cietur et corpus laxum reddatur. Nullo exemplo tantum hujus medicaminis dandum est, quantum vomitum excitet, ægro enim non prodest, sed perniciosissimum effectum semper habet. Quarta pars

* Vide Guthrie, op. cit. p. 489.

† Edin. Med. and Surg. Journal, vol. xviii. p. 511.

grani salis in aqua soluti plerumque satis erit. Sanguinis ex parte detractio utilissimum est auxilium, postquam signa inflammationis acuta aliquanto se inclinaverint, atque semel iterumve inter morbum curandum repetatur. Hæc crebro fit per hirudines; sed cucurbitulæ cum ferro modus multo melior esse in hoc et aliis oculi morbis sanguinem mittendi fere reperitur, quoniam sanguis, breviore tempore, et minori molestia, sic detrahitur.

Sed Hydrargyrum multum fructum huic morbo afferre repertum est. Meritum hoc reperiendi disputatum fuit, et a Domino TRAVERS Doctori FARRE et sibi vindicatum. Doctori FARRE magnæ ejus utilitatis Britannos certiores primum fecit in opere Domini SAUNDERS in anno 1816 edito. Invenimus ita loquentem: "The certainty with which the mercurial action arrested the deposition of coagulable lymph in syphilitic inflammation of the iris, led the editor to give this remedy a fair trial in simple inflammation of the iris, in which the disorganizing process by the adhe-

sive inflammation is precisely the same, however it may differ from the former in its exciting cause. The result of the trial has perfectly satisfied him, that the *mercurial action alone*, when properly kept up, is sufficient to subdue the ophthalmia iridis in its most acute stage."* At Germani se primos hoc reperire asserunt; et fundamentum, quo nititur assertio, est Doctorem BEER ejus opus de morbis oculi vulgavit anno 1813: in quo opere quidem Hydrargyri fructus in hoc morbo memorat; sed ejus usum non suadet, donec alterum morbi tempus accesserit, effectus lymphæ non impediatur, et ipsa aliis remediis non amoveatur. Mihi videtur Doctorem FARRE et Dominum TRAVERS laudem meritos esse, cum hoc remedium inflammatione Iridis nullam actionem specialem comitem habente multum valere invenerint, etiamque adhibendum esse fortius et priori morbi tempore imperaverint, præsertim Dominum TRAVERS, qui ejus usum monet *et ante, et postquam, materia adhærens effundatur.*

---

* Saunders, op. cit. Doctore Farre edito, Præf. p. xxxviii.

Ut effectus Iritidis perniciosi citissime progrediuntur, et Hydrargyrum tempus postulat, ut corpus afficiat, nunquam eo utendum est donec sanguis semel aut iterum missus fuerit. Forma Submuriatis, atque cum Antimonio Opioque, adhiberi optime potest, ut eo uti Dominum GUTHRIE vidi; e. g.

℞ Submuriatis Hydrargyri gr. iij.
Pulveris Antimonialis, gr. j.
Extracti Opii, gr. ¼.

Confice in massam; et fiat pilula una. Duæ pilulæ hujusmodi sumantur tertia vel quarta quaque hora, usque dum os affectum fuerit aut morbus se inclinaverit. Sententia autem Doctoris FARRE, "It is not the quantity of Mercury, but the Mercurial action, which is required," interdum negligitur; quoniam multi arbitrantur sat medicamenti non adhibitum esse, nisi certus ejus modus sumptus fuerit. Hoc tempore curationis dolor generaliter multum imminuitur, visus proficit pupilla est minus inæqualis, et lympha effusa evanescere incipit. Si inflammatio usque ad adhæsionem progressa sit, et lympha eum statum, qui Anglicè vocatur

"organized," jam acquisivit, Hydrargyrum solum iis exemplis prodesse credo. Alia præparata Hydrargyri præter pilulas ut antea præscriptas adhibere raro necesse est. Interdum autem si pilulæ alvum irritant, vel, postquam has tentaverimus, nostram expectationem fallunt, et solitos propriosque effectus in corpore non inducunt, tunc ad unguentum Hydrargyri confugiendum est. Drachma unguenti omni nocte temporibus fricetur. Cum hoc remedium corpori esse quendam virium modum postulat, ut ferat ejus actionem, spes medici interdum fallit. Ea exempla in hominibus ætate provectioribus debilibusque occurrunt, seu hæc debilitas e morbo, seu ex Hydrargyri abusu oritur. Cum res ita se habet, si hoc remedium adhibeatur, inflammatio crescit, et citius ad perniciem progreditur; intermittendum est igitur, et ad sanguinis ex parte detractionem, vesicatoria, Belladonnam, alvi purgationem et alia remedia, quibus opus sit, confugiendum est. Exempla Iritidis inflammationi conjunctivæ supervenientis sanguine, copiose atque iterum iterumque, misso, et medicamentis purgantibus sanari pos-

sunt. Hydrargyrum autem adhibendum est in omnibus aliis varietatibus vel per se vel ex alio orsis; et Dus. GUTHRIE Iridis inflammatione vulneribus excitata multum valere dicit. Audivi Doctorem THOMSON in prælectionibus, quæ nunquam nimium æstimentur, dicere, se utendo modum medendi, cui nomen est Anglice "Antiphlogistic," quatuor et viginti exempla sanasse. Iritidem sine Hydrargyro sanari posse, et, sanguine ex vena incisa et ex parte misso, purgationibus, Extracto Belladonnæ, cum victu diætaque idoneis, interdum sanari, res facta est magis firmata quam ut negetur. Mihi autem videtur id usu compertum nos habere ut ad Hydrargyrum confugiendum sit, quo modo Dres. FARRE, TRAVERS, GUTHRIE, plurimisque chirurgis commendatur, non quia hoc remedio Iritis sanetur, sed quia per id tutissime et citissime ad sanitatem perveniat; et quòd minus sæpe evenit, ut visus imminuatur, cum morbum Hydrargyro quam sine eo curemus. Medico, qui hoc remedio non utitur, magno animi dolori aliquando erit, quod modum curationis solitum non prosecutus est.

Modus, quo Hydrargyrum, corpus afficit, est problema quod ut solvent, medici suum ingenium contulerunt. Ratio, quæ, me judice, optima videtur, reddita est Doctore FARRE, qui inquit: "It is, however, too low an estimate of the operation of mercury, to consider it only as a specific against Syphilis, or as an evacuant and promoter of certain secretions and excretions. It powerfully alters the action of inflamed arteries, more especially in respect to the effusion of coagulable lymph, which it in various degrees controls, or even altogether suspends. In relation to general practice, this is perhaps the most important view which can be taken of the operation of mercury on the vascular system."* Hoc modo fortasse ratio utilitatis Hydragyri in Laryngis, Tracheæ, Jecoris, inflammatione, etiamque in Lue Venerea reddi potest. In oculo exemplum pulcherrimum facultatum hujus remedii aspicitur. Occurrit inflammationi, impedit ne lympha magis

* Saunders Op. Cit. Præf. p. xxxix.

effundatur, et efficit ut, quæ effusa est, absorbeatur. Existimatur res esse admirabilis Hydrargyrum et movere et sanare morbum. Dominus TRAVERS offert rationem ; sed libenter agnoscetur rationem frustra esse ; neque rem nobiscum ita considerare necesse est, si putemus, quam expositionem optimam esse credo, Hydrargyrum modo corpus adeo obnoxium facere, ut alia causa communis, e. g. frigus, inflammationem Iridis excitet. Res admirabilis tum nulla erit.

Dixi adhæsionem inter Iridem et Capsulam Lentis formari cum pupilla valde coarctata et Capsula Lentis opaca ; atque hæc oculi conditio obveniet, etiamsi omnia remedia jam dicta adhibeantur. Cum res ita se habet, eæ adhæsiones sæpe tollantur, ut in pupilla sit satis foraminis, per quod ad imum oculum lumen mittatur. Hoc fit ope extracti Atropæ Belladonnæ, quæ in proportione unius partis extracti in duabus aquæ solutæ oculo admoveatur. Si imponatur palpebris et superciliis melius erit, cum enim superficiei conjunctivæ admovetur, irritationem facit, et quendam dolo-

rem, qui aliquandiu manet post eum admotum, excitat. Extractum Belladonnæ, morbo adhuc ineunte, non admovere nos oportet, ne, pupillâ patulâ ab eo factâ, dum progreditur inflammatio, lympha deponatur, et fibras Iridis ejus actione affectas agglutinet: atque pupilla diu patula post reddatur, quam effectus Belladonnæ est nullus. Hoc malum animo non concipitur, Dus. GUTHRIE citat exemplum Juvenis, in altero cujus oculo pupilla ex hoc remedio præmature admoto dilatatur, et in alio ex ejus admotu prolato coarctatur. Imponatur iterum tertioque indies, usu ejus suspenso, ut pupilla se contrahat, ut decet. Hoc remedium, cum sic adhibetur, reddit, ut Iris se contrahat et recedat a variis partibus, quibus lympha eam alligat; pupilla, si antehac non ita se habeat, inæqualis fit; et hæc conditio sæpissime manet, postquam morbus prorsus succumbit et visus reficitur. Sed cum summa oculi functio bene se habeat, hæc res levis est. In aliis exemplis hoc et omne aliud remedium lympham absorbendi expectationem fallit; et variæ oculi conditiones extra pupillam inæqualem ex inflammatione

nascentur. Pupilla occluditur; et hic status vel cum vel sine capsula aut lente ipsa opacis aliquando urget, et vocatur Cataracta Spuria. In iis et aliis pupillæ clausæ varietatibus Iritidi supervenientibus visio sæpe refici potest, si ad manus et ferri curationem confugiamus. Disserere de hac re ab hoc tractatu alienum est.

Belladonna agere videtur faciendo pupillares Iridis fibras paralyticas, et sic actionem consentaneam, quæ ei cum retina est, suspendere; ex quo fit, ut fibræ radiatæ pupillam reddere patulam valeant. Tamen Extractum Belladonnæ quandoque Paralysin Retinæ æque ac Iridis excitare non celandum est. Quapropter et quia minus irritationis inducit, Professores HIMLY et SCHMIDT extractum Hyosciami Nigri secundum proportionem drachmæ in aquæ unciâ monent. Dr. DUNCAN junior mihi memoravit Reisinger suadere Hyosciamum et Atropiam, quia pupillam patulam reddunt et non irritant. Dr. ALEXANDER HANNAY ex eo, quod in Valetudinario ad morbos oculi curandos

in oppido Liverpool instituto expertus est, monet Extractum Stramonii antiponendum esse Belladonnæ, quia multo magis utilis atque efficax est et sæpe pupillam patulam reddit, postquam Belladonna frustra tentata fuerit.* Hic aut alius modus curationis, ut sit secundus, ægrum moderationem in cibo adhibere et omnem diætam stimulantem a se rejicere requirit. Utile erit, si æger in conclave lumine fere orbato detineatur; sed plus lucis gradatim admittendum est. Quum cornea sit opaca, cum sensu oculi nimium distensi de nimiâ humoris aquosi copiâ in camera anteriore pendente humor educatur per idem scalpellum, quod ad lentem opacam extrahendam adhibetur, cornea incisa qua parte solet.

Aliæ Iritidis varietates acutæ parem modum medendi postulant. Nonnulli Hydrargyrum fortius in Iritide Venerea, et sanguinis e venâ incisâ missionem minus in Rheumaticâ

---

* Lond. Med. and Phys. Journal, vol. 48.

adhibere sentiunt. In omnibus exemplis Iritidis cum aliis morbis obvenientis ratio iis certe adhibenda est. Dr. BEER fontem esse nuchæ per unguentum Tartratis Antimonii et Potassæ, quum occurrit Iritis simul cum Arthritide, monet.

Iritidem veterem sanguinis e temporibus per cucurbitulas cum ferro detractio, purgationes alvi, Hydrargyrum, et Belladonna generaliter sanabunt. Utilissimum remedium reperietur Vesicatorium, quod in hoc et fere omni oculi inflammati statu pone aurem admoveri debet et non supra supercilium, qua parte irritationem excitat, augetque sanguinis partem versus impetum. Oculus frigori plurimum patet; aliquandiu, postquam inflammatio subigitur, ex eo oculum ruborem levem acquirere, et actionem inflammatam redire nonnullis exemplis, videmus. Antequam hunc tractatum ad finem profero, ut hanc rem non raram ostendam, puellæ, quam ipse vidi, ab inflammatione scleroticæ et conjunctivæ laborantis mentionem facere mihi liceat. Illa con-

silium apud Valetudinarium Westmonasteriense petivit, et sanata fuit. Inflammatio autem cis hebdomadas octo frigore excitata *bis* rediit, et toties remediis idoneis sanata est.

FINIS.